



42 409. H

SEMICENTVRIA

ASSERTIONUM JURIDIGARUM

EX

4629, 3.

VARIIS UNIVERSI
JURIS CAPITIBUS
DESUMTARUM.

QVAS

D. T. O. M. F. A.

PRÆSIDE

Viro Amplissimo, Consultissimo, Clarissimo,

DN. CASPARO BITSCHIO,
U. J. DOCTORE EXIMIO, JURIDI-
CÆ FACULTATIS SENIORE, ET CO-
dicis, Feudaliumq; Consuetudinum Professore ce-
leberrimo; Præceptore, Fautore, & Promo-
tore suo æternum venerando,

Publica censura exponit

JOHANNES JACOBUS Häringer/
SPIRA-NEMES.

In auditorio Majori, die Martij.

℞ (:) ℞

ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

M. DC. XXIX.

23

7.

21





Bigæ fratrum germanorum
**PERILLVSTRI ET GE-
NEROSISSIMAE,**

DN. WOLFGANGO OTTONI,

&

DN. LUDOVICO CRAFT,

Comitib^o in Hohenloe /
& Dominis in Sanaen-
burg / cc. Studiorū, aliorūq;
exercitiorū causā. Argent-
versantibus: Dominis meis
Clementibus & gratiosis-
simis,

UT ET

Viro Amplissimo atq; Consultissimo,

DN. JOACHIMO GLUTEN, Jcto, ac Antecessori hujus Uni-
versitatis dignissimo, Dn. Patrono, Fautori, & Promotori
meo omnibus studiis & officiis colendo.

*Exercitium hoc Academicum in mei, studio-
rumq; meorum commendationem, & gra-
ti animi sponsonem*

Offero Dedico & Consecro.

Johan. Jacob Haringer/
Aut. & Resp.



A S S E R T I O P R I M A.



Erti juris est, Adoptatos à non extraneo, & arrogatos ita in familiam & potestatem adoptatoris transire, ac si legitimè ex eo nati essent. *arg. §. 2. 10. l. de adopt. §. 1. l. quib. mod. test. inf. §. 2. l. de inoff. test. l. 41. ff. de adopt. l. 2. 10. C. eod.* Ac proinde ut suos heredes ab intestato adoptanti succedere. *d. §. 2. l. de her. quæ ab int.* An verò etiam in feudis succedunt? *Neg. c. adoptivi. 2. F. 26.*

I I.

Transigere vel pacisci de crimine capitali prohibitum non est. *l. 18. C. de transact. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent. l. ult. ff. de pravaric. excepto Adulterio, d. l. 18. de crimine verò non capitali non licet. d. l. 18. C. de transact. d. l. ult. de pravaric. l. 9. C. de contr. & com. stip. Præterquam de crimine falsi. d. l. 18. l. 7. C. ad L. Corn. de fals. l. 2. C. de his quib. ut indg. l. 42. C. de transact.*

I I I.

Non datur actio Negotiorum gestorum ei qui alterius mandatu gessit, ignorans se alijs cujusdam, quàm mandantis negotium gerere. *l. 7. §. un. C. quod cum eo qui in al. pot. Sed contraria mandati actio. l. l. 14. C. de Neg. gest. An autem ei, qui alienum negotium gerit putans suum esse, detur Neg. Gest. actio? Ita videtur. l. ult. ff. de neg. gest.*

I V.

Minor viginti quinq; annis curatorem habens sine consensu ejus obligari, *l. 101. de V. O. l. 43. de O. & A. & alienare potest. l. 3. §. 2. de SC. Maced. l. 7. §. 1. 2. junct. l. 16. pr. §. 3. de minor.* ita ut ipso quidem jure valeat, non tamen præcisè huic contractui aut alienationi standum sit. *l. 3. C. de in int. rest.* Curatorem verò habenti, præter in integrum restitutionem, remedium nullum superest. *d. l. 3. Uterq; indistinctè de Veteri, non etiam de novo beneficio, investire potest. c. 1. pr. per quos fiat invest. 2. F. 3. arg. t. t. C. de præd. & al. reb. min.*

A 2

Regu-

V.

Regulariter actor rei forum sequitur. *l. 2. §. C. de jurisdic. l. ult. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de hered.* Sive in rem sive in personam agatur. *d. l. ult. C. ubi in rem act.* In causâ tamen *l. diffamari. §. C. de ingen. man. ipse diffamatus tanquam actor in iudicio diffamatorio, non coram diffamatoris sed suo iudice diffamationem proponit, ab eoque citatione super *l. diffamari* obtenta, probataq; diffamatione, vel confessione vel alio modo, diffamatorem eò necessitatis redigere potest, ut in termino præfixo corâ iudice diffamati compareat, & causas diffamationis & traductionis proponat sub pœnâ perpetui silentii. *d. l. diffamari. l. 18. ff. de accus. l. 17. C. de his qui accus. l. 6. C. de remiss. pig. Gail. 1. O. 9. n. 3.* Quo casu diffamatus quodam modò actor dici possit. *arg. c. forus. §. accusator. extr. de V. S. l. 13. ff. de iudic.* Quamvis illud remedium *l. diffamari* veriùs imploratio officii iudicis, quàm vera actio sit. *Gail. d. O. 9. n. 7.**

V I.

Pater tres filios habens, duos exheredavit, tertium in legitimâ instituit; primus de inofficioso agere noluit, secundus agens succubuit; tertii legitima quæ? *Resp.* Cùm duo illi nihil ex bonis patris habituri sint, tertius ille, qui simpliciter institutus in totam hereditatem succederet, totius hereditatis trientem legitimam habebit. *N. 39. c. 1. n. 18. junct. l. 10. §. 4. de B. P. C. T.*

V I I.

Si res petita post moram interiit, licet naturaliter perierit, reus ad præstandum pretium tenetur. *l. 12. §. 4. ad exhib. l. 40. pr. de her. pet. l. 5. de R. C.* Num verò honæ fidei quoq; possessor, qui justam litigandi causam habet, moram facere intelligitur, ac proinde de naturali rei interitu tenetur? *Non videtur. d. l. 40. pr.*

V I I I.

Publiciana non datur ei, qui eo tempore, quo Publicianâ agere vult, in malâ fide est. *l. 11. §. 3. de Publ. in rem.* non enim datur ei qui usucapere nequit. *l. 7. §. ult. d. t.* non potest autem usucapere, cujus secunda possessio est vitiosa. *l. 7. §. 4. pro emt. l. 15. §. 2. de usurp. d. l. 7. §. ult.* Quid verò si is qui in malâ fide erat, agendo vicerit, & ita iudice autore possideat, num jure possidebit, & bonâ fide? *Resp.* Cùm sciat se dolo vicisse, & sententiam injuriam esse, vix est ut bonam fidem habere dici possit. Quod verò jure possidere dicitur, qui Præto-

re.

re autore possidet, id intelligendum de eo, qui bonâ fide possidet, & sine dolo & lasâ animi conscientia. Hoc explicato, deficit illa quaestio: An Jure Canonico, quo mala fides superveniens durante licet possessione usucapionem interrumpit, *c. possessor. 2. de R.I. in 6.* Publiciana detur, postquam amissâ possessione mala fides supervenit.

I X.

Ususfructus jure patriæ potestatis conceditur patri vel avo in bonis liberorum adventitiis. §. 1. *I. per quas pers. cuiq. acquir. l. 6. C. de bon. qua lib.* Ut & emancipatori in bonis emancipatorû pro parte dimidiâ. §. 2. *I. d. t. t. r. C. de bon. matern. & t. t. C. de bon. qua lib.* Feudi verò filiofam. concessi ususfructus ad patrē non pertinet. Ea enim vel occasione militiae dantur. *c. 1. 2. 1. F. 19. & rit. 22. urbr. & c. 1. 2. 3. & pass. vel sapiunt naturâ Principalis liberalitatis; Et ideo castrensiū vel quasi castrensiū bonorū loco haberi debent. l. 7. C. de bon. qualib. l. 1. C. de castr. pecul.* Accedit, quod feuda bonorū allodialium jure nō censentur, cum in iis ascendentes non succedant. *c. un. de nat. succ. feud. 2. F. 50.* Et ita ususfructus rei feudalis ad accipientē transet, ut ad eū heredesq; suos in perpetuum pertineat. *l. un. inf. in quib. caus. feud. amit. 2. F. 23.*

X.

Vasallus rei feudali servitutē imponere potest, ut sibi quidem donec feudū tenet obsit: ad dominum autē reverso feudo extinguitur. *c. rei autem. de invest. de re al. 2. F. 8.* Quæ potius imitatio servitutis, quàm vera servitus est. Ea enim ad tempus constitui non potest. *l. 4. ff. de servit.* Sed perpetuam causam habet. *l. 28. de S. P. U.* Et prædii magis, quàm personæ est. *l. 4. 5. de S. P. R. add. l. 2. §. 2. si serv. vind.* Illa verò quam Vasallus feudo imponit perpetuū causam non habet, & à Vasallo magis & ejus heredibus, quàm à prædio debetur. *d. c. rei autem.* Quid verò si feudū ad agnatos devolvatur, an servitus extinguitur? Ita videtur. *d. c. rei autem. §. 1. inf. arg. l. 39. ff. de N. G. l. 20. §. pen. inf. de S. P. U. l. 2. quod vi aut clam.*

X I.

Quadrupedem alienâ in agro inventam & damnū dantem includere impunè nō licet. *l. 39. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Sed expellere illam tenetur, aut domino, ut suum recipiat denunciare. *d. l. 39.* Nisi fortè eatenus id ipsi concedamus, ut intelligatur, quis sit dominus quadrupedis. *arg. l. 25. ff. ad L. Inl. de adult.* Non etiam ut dominus de damno satisfidet, cum proprias eo nomine actiones habeat. *d. l. 39.*

7.

23

21



XII.

Judex familiæ eriscundæ potissimum sequatur defuncti voluntatē novissimam. *l. 5. 7. C. Fam. erc.* Sive testatus sive intestatus decesserit. *dd. ll. l. 6. ult. C. d. t.* Et inter liberos quocunq; modo de voluntate constet, sufficit. *d. l. 16. l. 21. ult. C. d. t. l. 21. §. 1. C. de testam.* An autem eo casu pater hunc vel alium ex liberis gravare possit usq; ad legitimā? Ita videtur. *l. 8. pr. C. de inoff. test. d. l. 16. l. ult. C. Fam. erc.*

XIII.

Jusjurandum in judicio ab adversario delatum necessariò præstandum est. *l. 34. §. 6. l. 37. 38. de jurei. aut referendum. dd. ll. aliàs is cui defertur, actionē amittit, sive causā cadit.* An verò illud juramentū præstandum quoq; sit, quod defertur ab actore, qui nihil omnino probavit, nec præsumptionem juris pro se habet? Affirm. *l. 25. §. pen. de probat. l. ult. C. de fideicomm. l. ult. §. 10. C. de jur. delib. N. 73. c. 4.*

XIV.

Condictio furtiva datur non tantum adversus ipsum furem. *§. ult. l. de O. quæ ex del. §. 14. v. planè. §. 18. l. de Action. l. 5. 10. §. fin. l. 16. ff. de cond. furt. add. l. ult. inf. ff. usufr. quem. cav.* Sed etiam adversus ejus heredes & successores. *d. l. 5. l. 2. 7. §. 1. 2. l. 9. ff. de cond. furt. l. 6. §. 3. l. 21. §. pen. rer. amot. l. 13. §. 3. de jurej. l. 1. pr. de priv. del. non quidem pro parte quæ pervenit, sed in solidum & pro parte hereditariâ, licet nihil ad eos pervenerit. l. 9. ff. de cond. furt.*

XV.

Omnes actiones sive in rem sive in personam, sive bonæ fidei, sive stricti juris, sive quascunq; alias, compensatio ipso jure minuit, exceptâ solâ depositi actione. *§. 30. l. de action. l. fin. C. de compens.* An etiam actionē commodati? dubitari posset propter *l. ult. C. commod.* Verius tamen affirmatur. *per l. 8. §. ult. ff. commod.*

XVI.

Regulariter omne mandatum est gratuitū. *§. ult. l. de mand. nihil tamē impedit, quò minùs mandatario aliquid remunerandi animo offerri vel promitti possit. l. 6. pr. §. ult. ff. mand. l. 1. 17. C. eod.* Quod si certum sit, vel extra ordinē. *l. 7. ff. d. t. l. 1. C. eod. l. 1. §. 10. de var. & extra-ord. cognit.* Vel certi condictione. *l. 9. pr. l. 24. d. R. C. vel præscriptis verbis actione. l. 5. §. 2. l. 22. de P. V. non etiam actione mandati, peti potest. Si verò incertâ vel generali pollicitatione quid promissū sit, peti nequit. l. 56. §. 3. ff. mand. l. 17. C. eod. nisi fortè dicamus eo casu posse, quo*

quo pollicitatio illa facta est personæ, quæ aliàs accipere salarium solet, & omnino nullâ præcedente promissione petere potuisset. *d. l. 1. §. 10. de var. & extr. cog.* aut alicui res mandata sit quæ locari solet. *d. l. 22. de P. V. §. 1. I. de locat.*

XVII.

Emtio ex l. 2. C. de resc. vendit. rescinditur non conditione ex lege, ut vulgò putatur; hoc enim beneficium nõ illâ lege primû introductû est, & quia nõ est obligatio nova introducta. *l. un de cond. ex lege.* Sed actione ex vendito. *arg. l. 11. §. 5. ff. de act. empt. & vend. Coll. Jurid. Argent. lib. 18. tit. 5. th. 12.* An autem rescissâ hoc modo emtione etiam jus pignoris ab emptore eâ in re constitutû rescindatur? Aff. Si contra voluntatem emtoris rescissa sit. *l. 3. quib. mod. pig. l. 4. §. 3. de in diem add. Secus se ex ipsius voluntate. d. l. 3. inf. l. 4. quib. mod. pig. l. 43. §. 8. de edil. edicto*

XVIII.

Non pauci sunt qui tradunt, contractû do ut des alium esse à contractû permutationis; quasi in hoc permutentur tantû species cû specie; in illo res quæ pondere, numero & mensurâ constant, vel inter se vel cum speciebus permutentur. *l. 7. C. de rer. perm. l. 5. §. 1. ff. de Præsc. verb.* Quod non puto. In permutationem enim veniunt non solum fundi & domus. *l. 1. §. C. de rer. permut. Mancipia & ancillæ. l. 4. C. de dolo.* Sed etiam oleum & frumentum. *l. 7. C. de rer. permut. æs, ferrum, pelles, boves, mancipia, cum vino, arma cum armis. l. 1. pr. §. 1. ff. de contr. emt. §. 2. I. de Emt. vend.* Etiâ ipsa pecunia, quæ tamen hoc casu, non ut pretium, intercedit pro re inæstimata. *l. ult. de cond. caus. dat.* Hodie frequens pecuniæ cû pecuniâ permutatiõ est, quæ Cambium vulgò appellatur.

XIX.

Mulier in repetitione dotis creditoribus, anteriorib. expressam licet hypothecâ habentibus, potior est. *l. 30. C. de jur. dot. l. 12. C. qui pot. in pig. add. l. 10. eod. N. 61. c. 1. inf. N. 91. in præfat. & c. 1.* Cum fisco verbõ aut alio qui privilegiatâ in executione hypothecam habet, concurrens, tûm demum, si prior est, potior est. *l. 2. C. de privil. fisc. N. 79. c. 3.* Quod si prior expressam habens cum fisco & muliere concurrat, utrumq; vincit mulier.

XX.

Si duplæ stipulatio per errorem omissa sit, nihilominus actione ex emto condemnatur venditor, scil. ut re evictâ præstet duplum. *l. 2. 37. §. ult. de Evict. l. 31. §. 20. de edil. ed.* Sin autê de duplo actum non sit, nec per errorê, sed consultò omissa sit duplæ stipulatio: de Evictione actio in simplû est, & in id quod interest. *l. 60. de Evict.*

XXI.

Certi juris est, acquirere volentibus ignorantiam juris nequam prodesse. *l. 1. §. 1. 2. 3. l. 4. 7. 8. 9. pr. §. ult. ff. de jur. & fact. ign. l. 31. pr. de usurp. l. 2. §. 15. inf. pro emt. l. 3. C. de I. & F. l. in damnis verò rei suæ amittendæ non nocere. l. 8. inf. d. t. l. 79. de leg. 2. l. 1. pr. ut in poss. leg. l. 9. C. de I. & F. l. non tamē ita, ut id quod amissum est juris ignorantia, actione, quæ antea nō competebat, peti possit. Eo enim modo prodesset potius quàm non noceret. l. 3. inf. C. de præscript. 30. ann.*

XXII.

Antequam nuptiæ celebrentur, & rerum dotis causâ promissarum traditio intercedat, dos propriè dici nequit. *l. 13. §. 1. 2. de fund. dot. l. 1. C. de dot. caut. non num. l. 76. inf. de jur. dot.* Ut nec dissoluto matrimonio dos recedè dicitur, cum sine matrimonio dos non sit. *l. 3. ff. de jur. dot. l. ult. C. de D. A. N. §. pen. l. de nupt. l. 1. §. 3. pro dote.*

XXIII.

Legitimati per subsequens matrimonium parentibus cum reliquis liberis per omnia succedunt. *§. 2. v. nec non eos. l. de her. quæ ab. intest. l. 5. 10. C. de nat. lib. N. 19. præf. v. sed quoniam. N. 89. c. 4. c. tanta. extr. qui fil. sint. legit.* An etiam in feudis? Ita; sed ex consensu Interpretum, & usu fori, Gail. 2. O. 141. Myns. 5. O. 42. non ex sententiis in libros Juris feudalis relatis. *Coll. Jurid. Argent. lib. 25. tit. 7. th. 10. c. naturales. si de feud. def. cont. 2. F. 26.*

XXIV.

Pupillus sine tutoris autoritate nec bonorum possessionem petere, *§. 1. l. de aut. tut. l. 11. ff. de bon. poss. l. 65. §. 3. ad SC. Trebell. nec hereditatem adire, d. §. 1. l. 9. §. 3. l. 11. de aut. tut. d. l. 65. §. 3. neq; hereditatem ex fideicommissio suscipere potest. d. §. 1. d. l. 9. §. 4. ff. de aut. tut. l. 37. §. fin. l. 38. l. 65. §. 3. ad SC. Trebell. quamvis lucrosa sit. dd. ll. Cùm & in lucrosâ hereditate damnum esse possit, tum propter periculū futurum, si fortè improvifum æs alienum emergat. *§. 5. v. sciendum. l. de her. qual. & diff. l. 2. §. 1. de cond. ind. tum quòd heres adeundo hereditatem obligetur creditoribus hereditariis. l. 8. pr. l. 21. §. 1. de A. H. l. 3. §. 3. quib. ex caus. in poss. & legatariis. d. l. 3. §. 3. §. 5. l. de Obl. quæ ex q. contr. etiam invitus. l. 28. v. at cum. ff. de reb. aut. jud. poss. Actionum quoq; vexationes damnum & in commodum afferunt, & sumtus in litem requirunt. l. 51. de pecul. l. 15. pr. ut leg. serv. caus. l. 6. in fin. de minor.**

minor. An verò honorarius quoq; tutor pupillo autor esse possit, ad hereditatem adeundam? Ita videtur. *l. 49. de A. H.*

XXV.

Maiorem annis 70. à tutelâ suscipiendâ (non etiam susceptâ) excusari, non est ambiguum. §. 13. *l. de excus. l. 2. pr. ff. eod. l. un. C. qui etate. add. l. ult. C. qui et. vel profess.* Debent autem isti 70. anni esse completi tempore delatæ tutelæ. *d. l. 1. pr. In testamentario itaq; tutore quodnam tempus spectatur? Resp. Si extraneus heres institutus est & filius exheredatus, tempus aditæ hereditatis. l. 7. 9. 10. pr. de test. tut. Si suus & necessarius, tempus mortis. arg. l. 11. ff. de lib. & postum.*

XXVI.

Numerus testium septenarius in testamento pagano præcisè requiritur. §. 3. *ult. l. de test. ord. l. 12. pr. l. 21. pr. C. de testam. l. 3. ff. unde lib. l. 2. C. de B. P. S. T. l. ult. C. de fideicom. Etiam tempore pestis condendo. l. 8. C. de testam.* Paucioribus autem quàm septem testibus adhibitis testamentum jure deficit. *d. l. 12. pr. d. l. 2. ff. unde lib.* An autem testamentum coram minore testium numero confectum obliget in foro cōsciētæ? Ita videtur. *arg. l. 2. 23. C. de fideicom. add. l. 38. de fid. lib. §. 1. ult. l. de fid. her.*

XXVII.

Ut testamentum prius per posterius rumpatur, necesse est, ut posterius sit jure perfectum. §. 2. 7. *l. quib. mod. test. infirm. l. 22. §. 3. C. de testam.* Licet Princeps in eo institutus sit. *l. 3. 20. C. d. t. l. 23. ff. de leg. 3.* Si tamen in posteriori testamento ii heredes instituti sint, qui ab intestato heredes esse possunt, prius testamentū rumpetur: quamvis posterius minùs solenniter factum sit. *l. 21. §. 3. C. de testam. l. 2. ff. de inju. sto. modò in posteriori illo quinq; ad minimum testes adhibiti sint, nec in priori instituti fuerint, qui & ipsi ab intestato heredes esse potuissent. d. l. 21. §. 3.* Num autem posterius hoc testamentū valebit jure testamēti, an verò tanquã ab intestato? pro posteriori *fac. d. l. 21. §. 3. C. de testam.*

XXVIII.

Ex die vel ad diem hereditas non rectè datur, sed vitio temporis sublato institutio quasi purè facta valet. *l. 23. pr. l. 34. ff. de her. inst. §. 9. l. Eod. expressè scil. & directò, tacitè enim & per consequentiam id fieri potest. l. 9. §. 17. 18. ff. d. t. Veluti, cùm capere poteris. l. 61. de her. instit. cùm adoleveris. l. 33. de vulg. & pupill.* Persæpe enim fit, ut expressa noceant, quæ non expressa non nocent. *l. 9. §. 18. l. 38. de her. inst. l. 77. 197. de R. l.* An autè heres sub die incertâ (quando scil. extitura

B

fit

fit) institui possit: Aff. l. 9. C. de her inst. Quæ de casu institutionis ita
concepto loqui videtur: Titus heres esto cum Cajus morietur, cum
hic fieri possit, ut Titius ante Cajum moriatur, atque ita heres non
efficiatur. arg. l. 1. §. 2. ff. de C. & D. l. 4. quand. dies legat.

XXIX.

Regulariter heres nondum aditâ hereditate defunctus non trans-
mittit hereditatē ad heredē. l. 7. C. de jure delib. l. un. §. 5. C. de Cad. toll.
l. pen. ff. de Vulg. & pup. l. 81. de A. H. Filius tamen suus heres transmit-
tit hereditatem non tantum in suum heredem. l. un. C. de his qui ant.
ap. tab. d. l. un. §. 5. C. de cad. toll. l. 7. §. 1. de adq. her. sed etiam quemcunq;
l. 8. C. de suis & legit. l. 9. pr. ff. de jur. fisc. l. 19. §. 2. de castr. pecul.

XXX.

Inter verbis tantum conjunctos juri accrescendi locus non est, cum
statim ab initio certas partes eos ex voluntate testatoris habere cer-
tum sit. l. 89. pr. de leg. 3. l. 11. de usufr. accresc. Si tamen propter con-
cursum tertii cujusdam partes sibi adscriptas non consequantur in-
tegras, non solum juri accrescendi locum faciunt. l. 41. pr. de leg. 2. Sed
etiam tertio illi præferuntur. d. l. 89. de leg. 3. quia hoc casu re & verbis
simul conjuncti facti sunt. v. d. l. un. §. his itaq. C. de cad. toll.

XXXI.

Propriâ autoritate legatario rem legatâ occupare non licet. arg.
§. 1. ibi, ab herede. l. de legat. l. 1. §. 2. & t. t. ff. quod legat. l. 1. C. ne quis in sua
causa. l. 3. C. de pignor. l. 5. C. de legat. l. 13. pr. ff. quod metus. Si enim id
post aditam hereditatē subtrahit vel per vim aufert, legatum amit-
tit. d. l. 5. C. de legat. l. 7. C. unde vi. l. 13. ff. quod metus caus. Si ante, restitu-
ere cogitur. d. l. 1. §. 2. quod legat. nisi à testatore data legatario sit po-
testas rem legatam occupandi. l. 34. §. 1. de leg. 2. aut heres legatario
voluntatem suam accommodaverit. d. l. 1. §. 11. ff. quod legat.

XXXII.

Non solum res testatoris propria vel heredis sed etiam aliena le-
gari potest. §. 4. 11. 1. de legat. l. 67. §. 8. ff. de leg. 2. l. 25. C. de fideic. l. 10. C.
eod. l. 10. in f. ff. de aur. arg. l. 39. §. 7. de leg. 1. d. l. 67. §. 8. (à sciente; vel
nesciente, dum tamen conjunctæ personæ legetur. d. §. 4. d. l. 67. §. 8.
l. 10. C. de legat.) Etiam jure Canonico. arg. c. 1. extr. de oper. novi nunc.
juuct. c. filius. §. X. de testam. Ita ut heres cogatur rem redimere & præ-
stare, vel si non possit redimere, æstimationem ejus dare. d. §. 4. l. 14.
§. fin. l. 30. §. fin. ff. de leg. 3. dummodo ea res sit in commercio legatarii.

d. §. 4.

415.
d. §. 4. l. 39. §. ult. de leg. 1. l. 49. §. 2. de leg. 2. An autem feudi à Vafallo le-
gati æltimatio debeatur? Neg. Quia de feudo testari Vafallus nō po-
test. c. 1. inf. de success. feud. 1. F. 8. Ideo nec legare illud potest. c. 1. §. do-
nare. qual. olim. pot. feud. al. 2. F. 9. Cū nec qualibet aliā ratione illud
alienare & in alium transferre possit. c. 1. de prob. Feud. al. pr. Lothar.
2. F. 52. c. 1. de prob. feud. al. per. Frid. 2. F. 55.

XXXIII.

Nemo potest prohibere quò minùs leges in testamento suo locū
habeant. l. 55. 112. §. ult. de leg. 1. l. 35. pr. C. de inoff. test. l. 13. C. de testam.
add. l. 27. de R. I. Nec proinde detractionem quartæ ex L. Falcid. testa-
tor prohibere poterat. l. 15. §. 1. ult. l. 27. ff. ad L. Falcid. Quamvis jure
recentiori eam possit prohibere. auth. sed cum hodiè. C. ad L. Falcid. N.
1. c. 2. inf. Ita ut heres, si nolit parere voluntati defuncti testatoris, he-
reditatem amittat. d. c. 2. inf. Ea tamen prohibitio expressa esse debet.
Eo enim ipso dum integra legata jubet solvi, non intelligitur Falci-
diam prohibuisse; cū præsumatur id fecisse per errorē, fortè quòd
plus se in facultatibus habere, quàm revera haberet, existimaverit.
arg. §. 3. l. quib. ex caus. man. non lic. An autē & Trebellianicam prohi-
bere possit? major dubitatio est. Sed tamen id ipsum quoq; affirman-
dum. Coll. Jurid. Argent. lib. 36. tit. 1. th. 27.

XXXIV.

Quæcunq; filius à patre studiorum causā accipit, ut ex iis non fi-
eret locupletior, licet doctior aut melior ex disciplinis evaserit, in
collationem non veniunt, cū mortis tempore in bonis ejus nō re-
periantur. Ea si quidem tantū conferuntur, quæ conferens, tempore
mortis ejus cui succeditur, in bonis habuit, aut dolo malo culpavè
possidere desiit. l. 6. C. de collat. l. 1. pr. §. 17. 19. 23. l. 2. pr. §. 1. 2. 3. l. 11. ff. eod. l.
ult. C. si ut omiff. her. Quod si quid credendi animo pater filio submi-
nistravit. l. 50. ff. fam. erc. filius coheredibus eo nomine manet obli-
gatus, nec collatione opus habet. l. 5. inf. C. de collat. l. 2. §. 1. ff. eod.

XXXVI.

Ex eo, quod per N. 118. differētia inter suos & emācipatos, quoad
ab intestato successionem, & inde dependentē tutelam legitimam,
sublata est; nō statim inferendum, Emancipatos propterea ipso jure
fieri heredes absq; aditione; quemadmodum de suis dicitur, in §. 2.
l. de her. qual. §. 3. l. de her. qua ab int. l. 11. de lib. & post. l. 6. §. 5. de A. H. l. 8.
C. de jur. delib. Cessat enim in iis vera ratio, quæ suos heredes facit
B 2 ipso

ipso jure heredes, de qua in dd. ll. Nec ii qui cum suis vel inter suos vocantur, continuo propterea sui heredes sunt, cum suis heredibus opponatur. pr. l. de leg. ag. succ. §. 3. in pr. l. de SC. Tertull. pr. l. de succ. cogn. §. 1. l. de serv. cogn. Non etiam sequitur ex sublatâ suorum & emancipatorum differentiâ, nepotem ex filio emancipato, in potestate avi retentum ab eo excludi. Rectius enim dicitur, Emancipatum succedere beneficio d. N. 118. nepotē verò propter patriam (avi) potestatem, in quâ retentus emancipatione patris sui avo suus heres esse coepit. §. 2. v. ita demum. l. de her. qua ab int. §. 2. v. sed ut nepos. l. de her. qual. add. l. 7. ff. unde lib. §. 7. l. quib. mod. jus pat. pot. solv. Arrogati verò vel à non extraneo adoptati ad successionem defuncti patris naturalis, ut olim. §. 13. l. de her. ab int. §. 3. l. de suic. cog. ita & post d. N. 118. tanquam proximi cognati vocantur. arg. l. 32. §. ult. C. de appell.

XXXVI.

Cum sui heredes vivo etiam adhuc parente quodammodo rerum hereditarium domini existimentur, dominiū in ipsos statim à morte patris continuari dubium nō est. §. 2. l. de her. qual. §. 3. l. de her. qua ab int. l. 11. de lib. & post. l. 6. §. 5. de A. H. l. 8. C. de jur. delib. An verò & possessio in eos continuetur? aded expeditū non est. Negativam potiorē & juri nostro magis consentaneam esse duco: cum possessio nisi naturaliter apprehensa à personâ in personâ transire nequeat. l. 23. pr. l. 32. §. 5. ff. de A. H. l. 1. §. 15. ff. si is qui test. lib. Et cū mors civilis, h. e. captivitas etiam in unius hominis personâ possessionem ceptam ita interrumpat, ut novâ apprehensione etiam post dominium receptū ad possessionem recuperandam opus sit. l. 12. §. 2. de capt. & postlim. l. 12. 23. §. 1. ex quib. caus. maj. l. 23. §. 1. de A. P. l. 1. de usucap. Quomodo in suum heredem qui omnino alius à defuncto est, sine ejus apprehensione vera possessio, quæ nunquam apud eum fuit, continuabitur?

XXXVII.

Feudum, tam Ecclesiasticum quàm seculare, contra dominū 30 annis à Vasallo, licet bonâ fidem nō habuerit, nec ultra unum servitium intra illud tempus præstiterit, præscribitur. c. si quis per triginta. si de feud. def. int. dom. & agn. 2. F. 26. Obr. 2. F. 6. n. 4. & seqq. Longâ verò, h. e. decem vel viginti annorum præscriptione, ut feudum acquiratur, bonam fidem habere Vasallum oportet. c. un. an præse. feud. acq. 2. F. 87. Ad servitutem quoq; longâ quasi possessione acquirendam bonâ fide & titulo, vel saltem justâ tituli opinione opus est. l. 1. C. de servit. l. 10. pr. ff. si serv. vind. ad. l. 11. ff. pro emt.

XXXVIII

Si plures iudices ad eandem causam dati sunt vel delegati, omnes iudicare debent. Nam duo V. G. ex tribus, uno absente, iudicare non possunt. *l. 39. de iud. l. 18. de recept. qui arb. l. 4. C. quan. prov. non est nec.* Idq; non tantum in definitivâ, sed etiam interlocutoriâ obtinet. *Wurms. 1. O. 13. n. 16.* An verò absentis subsequuta rati habitio sententiâ validam reddat? Neg. *Idem. d. O. 13. n. 15.* si verò omnes præsentes sint, unus verò ex iis dissentiat. *d. l. 39. l. 36. inf. de re jud. vel sibi de re non liquere juret. d. l. 36. cum omnes iudices, qui adsunt, iudicasse intelligantur. l. 37. d. t. nec unius dissensio, quò minus plurium sententia obtineat, impedire possit. d. l. 36. inf.* Quid verò si diversæ sint sententiæ, & utriusq; ad stipulatores pares numero? Resp. si delegati sint, ex arbitrio delegantis pendet sententia. *l. 28. ff. de re jud. c. fin. X. de sent. & re jud.* Sin ordinarii fuerint, in liberalibus causis pro libertate. *l. 38. inf. ff. d. t. l. 24. pr. de manumiss. add. l. 13. de probat. l. 20. de R. I. quemadmodum etiam in aliis causis favorabilibus V. G. dotis. l. 70. ff. de jur. dot. l. 85. pr. de R. I. l. 1. pr. sol. matr. Pupillorum, minorum, fisci, &c. In aliis verò causis (etiam publicis judiciis) pro reo lata sententia obtinet. *d. l. 38. pr. arg. l. 47. de O. & A. l. 124. de R. I.* Quod si ex compromisso diversæ dictæ sint sententiæ, neutra valebit. *d. c. fin. inf. X. de sent. & re jud.**

XXXIX.

Non desunt qui statuunt alienationem in fraudem creditorum factam tam ex parte alienatis, quem eius in quàm facta est, si fraudis conscius sit, delictum esse. *per l. 6. §. 8. l. ult. §. ult. ff. quæ in fraud. cred.* Quod non placet. Datur enim actio Pauliana, per quam illa alienatio rescinditur. *§. 6. l. de act. l. 1. §. 2. l. 14. ff. d. t. rei restituendæ non pœnæ nomine. dd. ll. l. ult. §. 1. d. t.* Nascitur quoq; ex eâ actio de peculio. *d. l. 6. §. 12. l. 12. ff. d. t.* Quod verò de pœna dicitur in d. §. ult. generale est, quomodo omnis actio respectu rei modo quodam dici & esse possit, prout etiam metus pœnarum. *in l. 1. §. 1. ff. de l. & l. ult. pr. C. de Episc. & Cler. accipi potest.* Quod verò *d. l. 6. §. 8. quæ in fraud. cred.* coercèdi verbo utitur id nihil impedit. Cum non tantum delictum quod extra contractum est, sed etiam quod in contractum incidit coerceri dicatur, & quidè actione ex contractu. Potius igitur dicendum in illâ alienatione delictum esse, quàm ipsam delictum esse.

XL.

Exceptio compensationis etiam actioni iudicati opponi potest.

B 3

l. 2.

416

3

7

21

23



l. 2. C. de compensat. l. 16. §. 1. ff. eod. modò debitum sit liquidum. Compensatio enim non impugnat sententiam, sed potius confirmat, cū sit quædam solutio, & sic pars executionis. l. 4. inf. ff. qui pot. in pig. Est autem debitum liquidum etiam quod per sententiam liquidatum est; nam sententia facit liquidum. arg. l. 1. C. de cond. ind. l. 1. §. fin. l. 2. 3. pr. ff. de agn. & al. lib. Cum res iudicata pro veritate habeatur. l. res iudicata. 206. ff. de R. I. l. 25. de stat. hom. add. l. 1. §. 4. ff. de lib. exhib. An autē & exceptio solutionis in priore iudicio omiſſa eidem actioni obiici possit, maioris dubitationis esse videtur? pro Neg. fac. l. 56. de iud.

XLI.

Non omnino expeditum est, utrum res litigiosa vendi vel oppignorari possit? pro Negativa facere videtur. l. 27. §. 1. ff. ad SC. Vell. l. 9. §. 1. ff. de pignor. junct. l. 1. §. 2. ff. qua res. pig. Contrarium tamen probat. l. 18. ff. de R. V. l. 2. 3. ff. de litigios. l. C. eod. ex quibus satis apparet alienationem rei litigiosæ ipso iure subsistere, quamvis irrita fieri & revocari possit.

XLII.

Quamvis inutilis sit illa stipulatio, in quâ ad ea quæ quis interrogatus fuit, non respondet. §. præterea. s. 1. de inut. stip. cum semper promissore aliquid adjiciente vel detrahente vitietur stipulatio. l. 1. §. 3. ff. de V. O. Utilis tamen efficitur si stipulatori diversitas responsionis ilicò placuerit. Idq; non tantum, ubi diversitas in summâ consistit, veluti cum stipulanti decem, viginti; vel viginti stipulanti, decem promiseris, constat enim illis viginti & decem inesse. d. l. 1. §. 4. Sed etiam cum purè stipulanti sub conditione, vel contra respondetur. d. l. 1. §. 3. cum & hoc casu nova stipulatio contracta videatur. d. §. 3. Item si duas summas alternatim stipulanti de unâ respondetur. l. 12. §. 3. l. 109. ff. d. t.

XLIII.

Si fidejussor in summam majorem eâ, quam reus principalis debet, se obligavit, ad summam concurrentem valida est fideiussio. l. 22. C. de fidejuss. l. 33. ff. mand. arg. d. l. 1. §. 4. d. l. 83. §. 3. de V. O. cum simil. Quemadmodum & in constituto. l. 11. §. 1. ff. de const. pec. Toties enim utile per inutile non vitietur, quoties ab invicem separari possunt, ut l. 9. pr. l. 20. 29. ff. de usur. l. 5. §. 2. l. 31. §. 4. ff. de don. int. vir. l. 34. pr. §. 1. C. de donat. c. utile. 37. de R. I. in 6. Gail. 1. O. 88. inf. & 2. O. 4. num. 6. & O. 5. num. 9.

418
XLIV.

Debitor qui falso procuratori solvit, licet existimet voluntate domini id fieri, non liberatur. l. 34. §. 4. de solut. nisi dominus id postea ratum habeat. l. 12. §. fin. l. 49. d. t. l. 11. 12. C. eod. aut qui exegit, domino restituerit. d. l. 34. §. 9. aut in locum eius successit. l. 96. §. fin. ff. d. t. vel debitor justam ignorantiam allegare possit. d. l. 12. §. 2. l. 18. 32. l. 34. §. 3. l. 51. ff. d. t. l. pen. ff. de R. C.

XLV.

Quamvis servus (& ancilla. l. 60. ff. de furt.) fugiendo furtum sui faciat. l. 1. C. de serv. fugit. Is tamen qui ei fugam persuasit, furti non tenetur. l. 36. pr. ff. d. t. add. l. 1. §. fin. ff. de serv. corr. licet aliàs is cuius consilio furtum factum est, furti obligetur. §. 11. I. de O. qua ex del. l. sapè. 53. §. fin. de V. S. Ad id enim tantum servus sui furtum facere dicitur, ut usucapi nequeat. d. l. 1. C. de serv. fugit. Cū revera se auferre nequeat l. 9. ff. de serv. export. l. 13. pr. l. 15. ff. de A. P. l. 33. §. ult. ff. de usurp. l. ult. §. 4. ff. de publ. & vectig. cum contra naturam sit, ut idem fur & res furtiva sit. Cuj. 17. O. 10. Si verò idem fugam ei persuasit, ut ab alio interceptiatur, furti persuasor tenebitur, quasi ope consilio eius furtum sit. d. l. 36. pr.

XLVI.

Sollicitè etiam inter Dd. quæri solet: Utrum actio de tigno jūcto induplū ex l. 12. tabb. detur etiam adversus b. f. ædificatorem? Quod affirmandum puto. per l. 23. §. 6. ff. de R. V. §. cum in suo. 29. I. de R. D. ibi, neq; ad exhibendum. junct. l. 1. §. ult. ff. de tig. junct. & ibi, si non fuerit duplum. junct. l. ult. ff. d. t. add. l. 7. §. 11. ff. de A. R. D. l. 6. ff. ad exhib. nec placet sententia eorum qui inter furtivum, & non furtivum distinguunt. Non licebit etiam b. f. ædificatori tignum evitandæ actionis causâ solvere. d. l. 6. §. ad exhib. l. 98. §. ult. ff. de solut. l. 1. pr. ff. de tig. junct.

XLVII.

Constante matrimonio, extraneus adulterum quidem accusare potest. l. 39. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult. non etiam adulteram, nisi maritum prius lenocinii accusaverit. l. 26. pr. ff. d. t. ne temerè quiescens turbetur & inquietetur matrimoniū. d. l. 26. pr. l. 30. ibi, ne liceat. C. de adult. Quamvis enim iudex adulterū condemnaverit, adultera tamen propterea condemnata non est, quin possit suam probare innocentiam. l. 17. §. 6. ff. d. t. Maritus verò suspectam adulterii retinere vel accusare potest. l. 2. 11. 30. C. de adult. N. 117. c. 8. In adulterio verò deprehensam sine lenocinii crimine retinere nequit. l. 2. §. 2. l. 24. §. 1. ff. ad l. Iul. de adu. l. 2. C. eod.

48. Cum

XLVIII.

Cum sine dolo malo lege corneliâ de sicariis quis non tenetur. *l. 7. ff. ad l. cornel. de sicar.* meritò infantem innocentia consilii tueretur. *l. 12. d. t.* An verò idem de infantia proximis dicendum sit? dubitari potest. Propterea quòd *d. l. 12.* expressè infantis mentionem faciat. Idem tamen de iis statuendum videtur, cum intelligere se delinquere ei potissimum ætati tribuatur, quæ pubertati proxima est. *§. 18. l. de O. quæ ex del.* & infans dicatur etiam qui infantia proximus est. *arg. l. 5. §. 2. ff. ad l. Aquil. l. 23. ff. defurt.*

XLIX.

Negant Dd. confessum appellare posse, quod pro iudicato habeatur, & suâ quodammodo sententiâ damnetur *l. 1. 3. 6. pr. §. 2. ff. de confess. l. 4. C. de adq. vel rep. her. l. 56. de re jud. ut qui vinci voluit. l. 1. §. 7. ff. si quid in fraud. patr. nec sententiam suam infirmare potest. l. 29. §. 1. ff. de donat. l. 11. §. 1. de interrog. l. 13. C. de non num. pec. l. un. C. de confess.* Quod tamen in eo tantum verum esse videtur, qui in causâ civili confessus est in iure. Hic enim ideo appellare nequit, quia nulla in eum fertur sententia. Qui verò ita confitetur, ut in eum feratur sententia V. G. si quis confitendo exceptionem objiciat. *l. 9. C. de except. cur appellare non possit nulla ratio apparet.*

L

Regulariter non ante, sed post definitivam sententiam appellare licet. *l. 2. 7. C. quor. app. non rec. l. 2. ult. C. quæ sent. sine app. l. 6. pr. l. 10. 18. 21. 22. 26. & pass. C. de appell. cum simil. c. super eo. 12. extr. de appell.* Non igitur appellatur ab interlocutoriâ. *arg. dd. ll. nisi in certis casibus, si scil. interlocutio iudicis inferat gravamen, quod per sententiam definitivam reparari nequeat. exemp. l. 2. ff. de app. recip. vel si interlocutoria ad negotium principale & substantiam negotii referatur. exemp. l. 2. C. ut lit. pend.* Jure Canonico à quocunq; gravamine illato appellare licet. *d. c. super eo. extr. de appellat.*

FINIS.

TRA SBurg, Diss., A627-23

ULB Halle
004 527 275

3



SB

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

42409#

4629, 3.

RIA
IDIGARUM
VERSI
IBUS
M.

. A.
Clarissimo,
TSCHIO,
IO, JURIDI-
ORE, ET CO-
um Professore ce-
ore, & Promo-
erando,

nit
Haringer/
s.
Martij.

l,
EDERTZ,

7

23